

www.e-rara.ch

**Ioannis Manardi Medici Ferrariensis, Hac Aetate omnium medicinae
professorum per uniuersam Italiam, in Galeni doctrina & Arabum censura
celeberrimi, & optime meriti, Epistolarvm Medicinalium libri ...**

Manardi, Giovanni

Basileae, M. D. XXXV

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Gal St 60,3

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-51673>

Reverendo ac magnifico Alphonsino Trotto, equiti Hierosolymitano, Coelius Calcagninus s.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

REVERENDO AC MAGNIFICO

ALPHONSINO TROTTO, EQVITI HIEROSOLYMITANO, COELIVS
CALCAGNINVS S.



CISCITARIS à me uir Magnifice, quid de commentationibus Manardi nostri sentiam. Ego uero cunctanter tibi respondendū existimarem, si aut res esset obscura, aut ego prius hominē amare, quā admirari cœpissem. Sed quom iam publico doctorum omnium consensu dijudicatum sit, Manardū in omni disciplinarum genere longe præcellere, omnesq; præclaras artes feliciter hausisse, uideor mihi abdicata omni iudiciorum solennitate etiam stans de homine bene merito posse pronunciare, eum post homines natos longe esse clarissimum: seu tu quæ ad naturam, seu quæ ad mathesin, seu quæ ad diuinitatem pertinent, explora ueris. Nam quid ego de ea parte, quæ ad mores spectat, mentionem habeam? quam ita quotidianis actionibus exprimit, ut facile intelligas, hominem sanctissimū, iuxta & doctissimum, non solum lingua, sed uita, atq; hac in primis philosophiā exercere, ut ex eo possint aptius nostri ciues uiuendi exemplum, quā documentum mutuari. Et sanè qui eius cōmentationes non oscitanter perlegerit, in ijs haud difficulter utraq; & animi & ingenij ornamenta perspiciet. Et profectò non aliunde factum est, ut homo minime ambitiosus, animum ad scribendū & ad eorum quæ scripsit æditionem appulerit, nisi ut promiscue bonis ac benestudiosis suo labore suaq; diligentia plurimum prodesset. Nam uir fecundissimi ingenij, & qui quotidie se dignum aliquid meditetur, eorum maxime abhorret consuetudinem, qui suos thesauros ita recondunt ac dissimulant, ut nemini impartendos arbitrentur. Quippe alij se intelligunt ad summam inopiam peruenturos, quom primum reconditas illas opes inuulgarint: alij perspectum habent multa esse in hominum opinione tantisper dum supprimuntur: quæ ubi publicum acceperint, tum mirifice expectationem frustrari. Contrà uero Manardus noster, uel quod uirtuti suæ plurimum cōfidat, uel quod optima quæq; in publicum usum depromenda censeat, nihil habet tam reconditū, aut tam preciosum ex Musarū sacrarijs erutum, quod non amicis, id est studiosis omnibus, obuia manu impartiat: plagiarios quosdam minime ueritus, qui sæpe capita libera, pro suis uernaculis uenditant. Eo enim est ingenio natus, ut nullius uitio uelit suam uirtutem labefactari. Emisit annis proximis libros sex Epistolarum medicinaliū (ita enim titulum præscripsit) qui sunt in manu hominū, amantur, leguntur, expetuntur. In doctissimus est, qui se non ijs multum debere fateatur: præsertim quom plurima in maiestate naturæ abdita, & à nostris hominibus ignorata, atq; ad uitam impense necessaria, ille aut primus ostenderit, aut, quod proximū est, in disquisitionē uocauerit: ut qui antehac uenena, aut cer-

te ignota pharmaca, pro remedijs depromebant, hi nunc admoniti cunctantius, & non sine religione miseris mortalibus medeantur. Sex alios mihi nuper ostendit, quos in ordinem digessit, opus dii boni quam uarium, quam emunctum, quam bonæ frugis plenum. Nam quod ad eloquentiam attinet, tantum in hos libros contulit, quantum existimauit necesse. Illud possum certò affirmare, eum ijs in cōmentarijs nihil prius habuisse in consilio, quam suo seculo prodesse, & literis laborantibus operam ferre. Certe oratio ita perspicua est, ut neminem torqueat: ita pura, ut neminem, nisi paulò delicatiorem, offendat. Nam quod ex consuetudine medicorum, nonnulla in eorum libris protrita interseruerit, quæ aliquis fortasse morosus auersetur: par est ut, quisquis ille est, secū cogitet, nō modo à quo, sed ad quos etiam scribatur: & orationē non in dicentis, sed in audientis multo maxime gratiam repertam esse. Ob id frequens fuit apud ueteres illud Aristoph. *ἀμαθὲς ὄρον πῶς εἶπε καὶ συφὲς ὄρον.* Illud habeo compertum, Manardum parabili oratione contentū, accersitos cultus, & uerborū anxios delectus alijs reliquisse. Vt cunq; tamen cæteri sentiant, mihi profectò frequenter ita adsurgit, ut non in Lyceo, sed in foro, aut in basilica uersari uideatur. Nec sanè quispiā putet Galeanum, Oribasiū, Aeginetā à Manardo accuratius excussos, quam Ciceronem, Demosthenem, Pliniū, cæterosq; elegantioris notæ. Sedenim eruditionis est uerba inuenire: suis autem locis accommodare, & temporibus inseruire, prudentiæ. Cæterū quod tibi recentissimū hoc opus dicauerit, non possum non eius optionem plenam sapientiæ approbare: Tu enim unus es omnium, uir clarissime, qui literas ac literatos soleas liberaliter amplexari: qui recta studia, omnibus fortunæ bonis anteponas: qui cætera omnia in rebus humanis incerta, fluxa, procidua existimes: solam autem esse literarū prærogatiuam, cui uera laus & perpetuitas nominis debeat. Bene uale.

Ferrariæ, ad xii. Calend. Nouemb.

M. D. XXIIX.